

sancto, si eam a pręsenti languore curaret, se illam ad eius memoriam annis singulis pensa<turum> mirabili modo sanam protinus retulit, quam paulo ante languentem attulerat.

4. Domnus Petrus prudens atque honestus cleri<cus> eiusdemque sancti basilicę canonicus cum ad Beneventanam civitatem pro quibusdam responsis esset profectus, febre valida correptus est. Cu<mque> ardoribus¹⁵² immodicis estuaret, cepit in corde suo volvere et fide certissima credere, quod, si esset sibi possibile pręsentari ad tumulu<m sancti> corporis, protinus convalesceret. Et quoniam fideliter credidit¹⁵³ et in fide non hęsitavit, mox ut reverti potuit, beati confessoris oratorium ad<iit>, ante altare ipsius prostratus oravit et salute presto recuperata surrexit.

5. Alter quoque eiusdem canonicę clericus cum dolore aurium <gra>viter cruciaretur, ita ut ac si quidam demens garritus et rugitus¹⁵⁴ ingentes emitteret, quadam nocte passionis impatientia actus s<ur>rexit et oratorium Christi confessoris ingressus sese ante altare prostravit orans attentius, ut mereretur sancti viri meritis de¹⁵⁵ tanti languo<ris> angustia liberari. Affuit mox devotis precibus egregi^a confessoris suffragium et, cum statim cepisset de auribus eius aqua defluere, ab eadem pari<ter> mox ereptus est passione.

6. Cum quędam mulier filium haberet ad hubera et lac e contrario hubera non haberent, ita ut lactare¹⁵⁶ filium minime posset, credens nil esse impossibile deo et iterum credens beatum Christi confessorem, quicquid vellet, posse impetrare a deo fecit mamillas cereas et plena fide ac devotione detulit secum ad basilicam sancti. Cumque orasset et inter orationis verba singulis, dum adviver<et>, annis id se facturam

Mir. c. 5. a) über der Z. hinzugefügt.

152) Petrus Damiani, *Sermo 8*, hg. von LUCCHESI (wie Anm. 82) S. 47: mundus ... ardoribus aestuaret.

153) Ambrosius, *De Abraham* I,8,66, hg. von Carolus SCHENKL (CSEL 32/1, 1897) S. 545: credidit nec haesitavit fide.

154) Iob 39,3: rugitus emittentem.

155) Prov. 11,8: Iustus de angustia liberatus est.

156) Gregorius Magnus, *In librum I Regum* I 45, hg. von VERBRAKEN (wie Anm. 85) S. 78: lactare filium.